
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY



# Städtisches
# Friedrich-Wilhelms-Gymnasium
zu
# Neu-Ruppin.

---

# Observationes criticae
## in fabulas Aristophaneas, praecipue in posteriores.

Von

**Dr. Richard Schenk,**
Gymnasiallehrer.

---

Wissenschaftliche Beilage


zu dem

**Bericht über das Schuljahr 1890/91.**

---

**NEU-RUPPIN.**
Druck von E. Buchbinder.

1891. Progr. No. 83.



# Observationes criticae in fabulas Aristophaneas, praecipue in posteriores.

Scripsit **Dr. Richard Schenk.**

---

In Aristophanis fabulis, quamquam per annos amplius centum viri artis criticae peritissimi iidemque comicorum sermonis gnarissimi maximam curam in eas impenderunt, tamen etiamnunc permulti inveniuntur loci, qui a felicioribus manibus medicinam exspectant. Quare operae pretium me facturum arbitror, si de nonnullis versibus corruptis sententiam meam aperiam et, quae in eorum emendatione videar mihi posse proficere, in medium proferam.

Atque ut a Lysistrata exordiar, illi critici, qui v. 115—116 ad integritatem perducere conabantur, nonnihil, ut mea fert opinio, a vero aberraverunt. Quod quo facilius appareat, a versu 113. repetamus. Lysistratae, quae a reliquis mulieribus quaesivit, num paratae essent se adiuvare in bello componendo, respondet Myrrhina:

v. 113. *ἐγὼ μὲν ἄν, κἂν εἴ με χρείη τοὔγκυκλον*
*τουτὶ καταθεῖσαν ἐμπιεῖν αὐθημερόν,*

Calonica autem haec:

v. 115. *ἐγὼ δέ γ' ἄν, κἂν ὡσπερεὶ ψῆτταν δοκῶ*
*δοῦναι ἄν, ἐμαυτῆς παρατεμοῦσα θἤμισυ.*

Quae qui accuratius legerit, eum complura verba (*δοκῶ, δοῦναι ἄν*, pro quo rectius scripserunt *δοῦν ἄν, παρατεμοῦσα*) depravata esse non fugiet, neque mirum est quod iamdiu editores hos versus mutare conati sunt. Nam aequalitatis legem constanter in diverbiis observatam nullo modo hoc loco violari debere recte iudicat Meinekius. Tamen displicent mihi quae Dindorfius in verborum ordinem recepit:

*κἂν ὡσπερεὶ ψῆττάν με δῇ*
*ἐπιδοῦν' ἐμαυτῆς παρατεμοῦσαν θἤμισυ,*

neque multo magis comprobaverim, quae Meinekius ipse coniecit:

*κἂν ὡσπερεὶ ψῆτταν δέῃ*
*δοῦναι μ' ἐμαυτῆς παρατεμοῦσαν θἤμισυ.*

Sanavit enim ille quidem versum 116 (*ἂν* particula a Suida quoque omissa est, cfr. Georgius Buenger, De Aristophanis Equitum Lysistratae Thesmophoriazusarum apud Suidam Reliquiis 1878, quem librum iure Bambergius omni laude dignum dicit), sed in v. 115 ab illa, quam non neglegendam existimabat, lege non minus quam reliqui recessit: nam *κἂν* particula hic sine dubio idem significat quod in v. 113. Eaudem ob causam reicio ea, quae Blaydesius reponenda censet:

*ἐγὼ δέ γ' ἄν, κεἴ μ' ὥσπερεὶ ψῆτταν δέοι*
*μεταδοῦν' ἐμαυτῆς παρατεμοῦσαν θἤμισυ.*

Illa denique, quam Bentleius olim protulit, coniectura *δαίειν ἐμαυτήν* non solum ideo improbanda est, quod Homeri haec vox est (Attici dixissent *διελεῖν μ' ἐμαυτήν*), sed etiam quod v. 132. Lysistrata respondet *ἔφησθα σαυτῆς κἂν παρατεμεῖν θἤμισυ.*

Scribendum est potius:

*ἐγὼ δέ γ' ἄν, κἂν ὥσπερεὶ ψῆτταν δοκοῦν*
*δοῦναί μ' ἐμαυτῆς παρατεμοῦσαν θἤμισυ.*

*δοκοῦν* enim idem est quod *εἰ δοκοίη*, ut haec evadat sententia: »ego autem, etiamsi me rhombi instar dimidiam mei corporis partem desecare desectamque tradere vobis placuerit, tamen adiuvare te parata sim«. Non aliter scholiasta, quem tamen *δοκῇ* legisse apertum est, hunc versum intellexit, cum dixit: *κἂν συμβῇ τέμνεσθαι τὸ ἥμισύ μου, βούλομαι.*

Lysistr. 306: Senum chorus, quanta maxima potest celeritate, ascendit in arcem, quam mulieribus eripiat, vectes, sarmenta arida, ollas carbonarias secum portans. Cum ad fores accesserint, choragus haec:

306. *τουτὶ τὸ πῦρ ἐγρήγορεν θεῶν ἕκατι καὶ ζῇ.*
*οὐκοῦν ἂν οὖν τὼ μὲν ξύλω θώμεσθα πρῶτον αὐτόν,*
*τῆς ἀμπελοῦ δ' ἐς τὴν χύτραν τὸν φανὸν ἐγκαθέντες*
*ἅψαντες εἶτ' ἐς τὴν θύραν κριηδὸν ἐμπέσοιμεν.*
310. *κἂν μὴ καλούντων τοὺς μοχλοὺς χαλῶσιν αἱ γυναῖκες,*
*ἐμπιμπράναι χρὴ τὰς θύρας καὶ τῷ καπνῷ πιέζειν.*
*θώμεσθα δὴ τὸ φορτίον. φεῦ τοῦ καπνοῦ, βαβαιάξ.*

Ita in R[e] hi versus leguntur, sed quam male se habeant v. 307—309, quis est qui non videat? Engero videntur emendati a Custero et Brunckio, qui tamen mea quidem opinione frustra in iis corrigendis laborem consumpserunt. Credunt enim certa aut probabili coniectura locum in integrum restitui, si ita legatur:

*οὔκουν ἄν, εἰ τὼ μὲν ξύλω θείμεσθα πρῶτον αὐτοῦ,*
*τῆς ἀμπέλου δ' ἐς τὴν χύτραν τὸν φανὸν ἐγκαθέντες*
*ἅψαντες εἶτ' ἐς τὴν θύραν κριηδὸν ἐμπέσοιμεν;*

Quae si recte se haberent, novae orerentur difficultates. Primum enim, praesertim cum totus chorus pugnandi cupiditate ardeat, illa choragi interrogatio, qua nulla modestior cogitari potest (*οὔκουν ἂν ἐμπέσοιμεν*), inepta esset, tum pro eo, quod illi coniecerunt (*εἰ θείμεσθα*), necessario scribendum esset *θέμενοι* participium. Ego quidem in Engeri sententiam concedere non possum, neque dubito (cfr. 312 *θώμεσθα κτλ.*) quin poetae haec sint reddenda:

*οὐκοῦν τὰ νῦν τὼ μὲν ξύλω θώμεσθα πρῶτον αὐτοῦ,*
*τῆς ἀμπέλου δ' ἐς τὴν χύτραν τὸν φανὸν ἐγκαθέντες*
*ἅψαντες εἶτ' ἐς τὴν θύραν κριηδὸν ἐμπέσωμεν.*

Quae verba facile in ea, quae in codicibus inveniuntur, depravari potuerunt. Sententia est: »Quare hic vectes deponamus, facem autem viteam in ollam immissam accendamus et in fores impetum faciamus.« Minus placeret id quod Blaydesius coniecit: *οὐκοῦν χαμαὶ τὼ μὲν ξύλω θώμεσθα πρῶτον αὐτοῦ* et postea *ἐμπέσωμεν.*

Lysistr. 486: Provisor sive probulus, a chorago iussus mulieres astantes interrogare, qua de causa arce potitae sint, eas adit dicens:

*καὶ μὴν αὐτῶν τοῦτ' ἐπιθυμῶ νὴ τὸν Δία πρῶτα πυθέσθαι,*
*ὅ τι βουλόμεναι τὴν πόλιν ἡμῶν ἀπεκλῄσατε τοῖσι μοχλοῖσιν.*

Pro eo, quod est in libris, *αὐτῶν*, quo in pronomine iure offendunt editores, Bergkius proposuit *αὐτός*, Hamakerus *πάντων*, sed praestare videtur *ὑμῶν.* »Equidem hercle hoc primum cupio ex vobis quaerere, quo consilio arcem nostram repagulis occluseritis.« De eodem pronomine (*ὑμῶν*)

cogitaverat Blaydesius, qui tamen nunc praefert *αὐτῶν* et *ὅ τι βουλόμεναι τὴν πόλιν οὕτως ἡμῶν μοχλοῖς ἀπέκλῃσαν*. Quod certe, cum Lysistrata statim respondeat, nihil habet probabilitatis.

Lysistr. 554: Lysistrata probulo exponit, quid mulieres de viris decreturae sint.

Lys. *οἶμαί ποτε Λυσιμάχας ἡμᾶς ἐν τοῖς Ἕλλησι καλεῖσθαι.*
Prov. *τί ποιησάσας;* Lys. *ἢν παύσωμεν πρώτιστον μὲν ξὺν ὅπλοισιν*
*ἀγοράζοντας καὶ μαινομένους.*

v. 556. in participio *μαινομένους* offendit (Annal. 1878) O. Schneiderus, vir de Aristophane optime meritus, perspicere se negans, cur qui in foro rerum venalium versantur viri armati dici possint *καὶ μαινόμενοι*. Nam »qui ita faciebant, inquit, per se quidem non faciebant quod *μανιῶδες* esset, sed faciebant *πρᾶγμα γέλοιον*, ut ipsa Lysistrata dicit v. 559.« Scribi igitur vult: *ἀγοράζοντας καὶ μαιομένους*, poetae vindicans vocem ab Attico sermone alienam, quam ita tueri conatur, ut illum alia quoque verba ab Homero sumpsisse dicat. Sed si reapse *μαιομένους* Aristophani reddendum esset, tamen non omnia recte se haberent. Nam cum ex *ἀγοράζοντας* nullo modo ad *μαιομένους* audiri possit *ἐν ἀγορᾷ*, non est dubium quin *καί* quoque corruptum sit. Blaydesius, sine dubio in eodem verbo offendens, proponit *ἀγοράζοντας γ'ὡς μαινομένους*, quae coniectura certe non habet, quo se commendet. Nam cum v. 556—557 (*νῦν μὲν γὰρ δὴ κἀν ταῖσι χύτραις καὶ τοῖς λαχάνοισιν ὁμοίως περιέρχονται κατὰ τὴν ἀγορὰν ξὺν ὅπλοις ὥσπερ Κορύβαντες*) illi viri cum Corybantibus comparantur, non ut furibundos Lysistrata eos deridet. Bene Schneiderus: »Hoc non propter aliquam horum *μανίαν* factum est, sed quod Corybantes quoque armati discurrebant, saltantes quidem.« Quae cum ita sint, proxime ad verum accedere credo haec:

*ἢν παύσωμεν πρώτιστον μὲν ξὺν ὅπλοισιν*
*ἀγοράζοντας διαγιγνομένους.*

»Si effecerimus, ut desinant cum armis perpetuo in foro versari.«

Lysistr. 704: Muliebris chori dux senibus crimini dat, quod nihil aliud nisi perversa decernant. Deinde dicit:

*κοὐχὶ μὴ παύσεσθε τῶν ψηφισμάτων τούτων, πρὶν ἂν*
705. *τοῦ σκέλους λαβὼν ὑμᾶς τις ἐκτραχηλίσῃ φέρων.*

Versum 705, cuius numeri pravi sunt, mutandum esse cum iamdiu vidissent critici, alii *τοῦ σκέλους ὑμᾶς λαβών τις*, alii idque melius (ut ex antistropha apparet) *τοῦ σκέλους λαβών τις ὑμᾶς* scribi voluerunt. Non sine causa nonnulli offendunt in participio quod est *φέρων*, de quo Engerus adnotat: »*θέλων* Suidas v. *ψηφοφορία*, unde *θένων* (vel potius *θενών*) suspicatus est Bentleius, manifesto ita legendum esse existimavit Porsonus; idque recepit Bothius. Neque nobis *θενών* non arridet.« Ego *θενών* vel ideo improbans, quia participium, quo exprimatur vis iaciendi, non feriendi (censet fortasse mulier illa senes deturbandos esse de Pnyce), exspectamus, olim legendum conieceram:

*τοῦ σκέλους λάβῃ τις ὑμᾶς ἐκτραχηλίσαι 'θέλων,*

quod mihi magis etiam placebat, cum ex Buengeri libello alteram codicum Suidanorum partem praebere *ἐκτραχηλίσῃ θέλων*, alteram autem *ἐκτραχηλίσαι θέλων* didicissem. Nunc autem, praesertim cum nullus Suidae codex exhibeat *λάβῃ*, aliter iudico. Cum Plut. 70 et Nub. 1501, quibus locis idem verbum *ἐκτραχηλίζω* habemus, passivum cum *πεσών* participio coniunctum inveniatur, hoc loco reponendum esse *βαλών* concludas:

*τοῦ σκέλους λαβών τις ὑμᾶς ἐκτραχηλίσῃ βαλών.*

»Nec unquam huiusce modi decreta facere desinetis, priusquam vos aliquis crure arreptos in praeceps deiecerit.«

Lysistr. 720—725: Lysistrata, aegre ferens libidinem et inconstantiam mulierum, quae iam ad viros clam redire conentur, dicit:

720. *τὴν μέν γε πρώτην διαλέγουσαν τὴν ὀπὴν*
*κατέλαβον ᾗ τοῦ Πανός ἐστι ταὐλίον,*
*τὴν δ'ἐκ τροχιλίας αὖ κατειλυσπωμένην,*

723. *τὴν δ' αὐτομολοῦσαν, τὴν δ' ἐπὶ στρούθοὺ μίαν*
*ἤδη πέτεσθαι διανοουμένην κάτω*
*εἰς Ὀρσιλόχου χθὲς τῶν τριχῶν κατέσπασα.*

v. 720 pro *πρώτην* est *πρῴην* certa coniectura Bachmanni (Coniect. Specimen 1878), viri sagacissimi et eruditissimi, qui *πρώτην* depravatum esse primus intellexit. (Eadem ratione Nub. 523 pro *πρώτους* restituit *πρῴην* Guilelmus Poekel, qui (Annal. 1888) magnum corruptelarum numerum egregie correxit.) Quae autem idem et O. Schneiderus (Annal. 1880) de versu 723 coniecerunt, ea, credo, non omnibus satisfacient. Recte sane Schneiderus haec: »Permirum accidit, quod tertia mulier simpliciter dicitur *αὐτομολεῖν*. quasi vero prima, secunda, quarta mulier non item dici debeant transfugae, sive iis contingebat ut domum venirent, sive ex fuga retrahebantur.« Sed quod addit »*αὐτομολοῦσαν* referendum est ad eam mulierem, quam Lysistrata modo narraverat *ἐκ τροχιλίας κατειλυσπωμένην*. quod si est, non iam tenendum erit *τὴν δ'*, sed corrigi debet *τῇδ' αὐτομολοῦσαν* i. e. hac via *αὐτομολοῦσαν*,« id mihi longe secus videtur. Sic enim haec verba (*τῇδ' αὐτομολοῦσαν*) plane supervacanea essent. Neque vero magis placuerit ratio, qua Bachmannus (cuius tamen iudicio in eo consentio, quod post *κατειλυσπωμένην* plene interpungendum et pro *μίαν* restituendum esse *τινά* censet) olim versum ad sanitatem reducere conabatur, coniciens legendum: *τὴν δ'αὖ μόλις γ'ἐνθένδ' ἐπὶ στρούθου τινά*, qua in scriptura litterarum, quae sunt in codicibus, ductus parum sequebatur. Nuper (Philol. N. F. I, 4), quo est acumine, novam emendationem invenit, proponens *τὴν δ'αὐτομολοῦσαν νὴ Δί' ἐπὶ κτλ.*; quod quamquam a veri specie non abhorret, tamen, praesertim cum *αὐτομολοῦσαν* parum conveniat verbis *διανοουμένην πέτεσθαι*, haec mihi probabiliora videntur:

*τὴν δ'αὐτομολεῖν μέλλουσαν ἐπὶ στρούθου τινά,*
*ἤδη πέτεσθαι διανοουμένην κάτω*
*εἰς Ὀρσιλόχου, χθὲς τῶν τριχῶν κατέσπασα.*

»Tertiam autem transfugituram struthiocamelo, iam Orsilochi domum devolare cogitantem, crinibus prehensam detraxi.« Per metrum non minus bene licere dicere *τὴν δ'αὐτομολεῖν ἐθέλουσαν* (quo participio sententiam paulum mutari facile apparet), quamquam Engerus in Praefatione Lysistr. negat, multis ex versibus, ut Nub. 229 (*εἰ μὴ κρεμάσας τὸ νόημα καὶ τήν φροντίδα*) intellegitur. De *ἐπὶ σρούθου μίαν* Blaydesius, qui in *αὐτομολοῦσαν* nihil offendit, ita iudicat, ut poetam fortasse *ὅπως στροῦθον μέγαν* scripsisse censeat, quod si verum esset, *κατέσπασα* ferri non posset. Sed hoc sine dubio retinendum est.

Lysistr. 822: Mulierum coryphaeo, qui interrogat

*τὴν γνάθον βούλει θένω;*

h. e. »Visne maxillam tibi percutiam?«

respondet is, qui inter senes easdem partes agit:

*μηδαμῶς· ἔδεισά γε.*

Hunc versum quamquam scholiasta ita defendit, ut dicat *ἢ ἐν εἰρωνείᾳ φησίν, ἢ ἀληθῶς ἐφοβήθη*, tamen praeter Blaydesium, qui adnotat: »coniciebam *μηδαμῶς πέλαζέ μοι*, sed nihil temere mutandum«, editores vitii suspectum contendunt. Neque id immerito. Nam senum ducem mulieribus aliquid minari per se patet, scholiastam autem inepta dicere iam Reisigius demonstravit. Quod nuper Herwerdenus (Hermes, 24, 4) proposuit, *ἐπεὶ χεσεῖ*, sc. *πατουμένη ὑπ' ἐμοῦ*, mihi displicet; cfr. strophae versum 798 *κρομμύων ἄρ' οὐκ ἔδει*, cuius sententia est: colaphum tibi impingam. Versus, nisi me omnia fallunt, ita mutandus est:

*μηδαμῶς· ἔδει δακεῖν.*

»Cave id facias; mordere te cogerer.«

Lys. 1074: Chor. *Ἄνδρες Λάκωνες, πρῶτα μέν μοι χαίρετε,*
*εἶτ' εἴπαθ' ἡμῖν, πῶς ἔχοντες ἥκετε.*
Lac. *τί δεῖ ποθ' ὑμὲ πολλὰ μυσίδδειν ἔπη;*
*ὁρῆν γὰρ ἔξεσθ', ὡς ἔχοντες ἥκομες.*

1078. Chor. βαβαί· νενεύρωται μὲν ἥδε συμφορά
δεινῶς· τεθερμῶσθαί γε χεῖρον φαίνεται.
Lac. ἄφατα· τί κα λέγοι τις; κτλ.

In versibus 1078—1079, quamquam Engerus ascribit: »Scholiasta utrum τεθερμῶσθαι an aliud quiddam legerit, indagare non operae pretium est«, menda latere Schneiderus (Annal. 1876) clare atque evidenter ostendit. Ac primum v. 1078. Dobraeo auctore ἤδ' ἡ συμφορά recipiendum est. Magis corruptus est v. 1079. Cum scholiasta interpretetur: ἀντὶ τοῦ χεῖρον τῆς τάσεως τοῦ Ἑρμοῦ φαίνεται, τουτέστι χεῖρον τέταται τοῦ Ἑρμοῦ, Hermannus legendum proposuit τόδ' Ἑρμοῦ στῦμα, quibus ex verbis στῦμα vix probari poterit, Ἑρμοῦ autem sine dubio recte se habet. De hermis revera aliquid scholiastam legisse, etsi quid in libro suo habuerit non satis intellegatur, Meinekius quoque credit, corrigi posse dicens τὸ δ' ἡρμῶσθαί (vel ἑρμοῦσθαί) γε χεῖρον φαίνεται (»hermarum sortem subire peius est«), quae proferat, non quo vera haec esse putet, sed quia forte alii probabiliora inde extundant. Vera invenisse sibi videtur O. Schneiderus, qui scribi vult: δεινῶς γ'· ἔθ' ἑρμοῦ' σθ' ἧγε χείρων. Lac. Φαίνεται ἄφατα κτλ. Quae coniectura quamvis correctionis facilitate commendetur (ἑρμοῦ enim comparatione compendiaria dictum esset pro τῆς ἑρμοῦ), tamen cum viro sagacissimo discrepo una in voce. ἧγε enim non solum supervacaneum est, sed etiam, quia ab Atticorum graecitate plane abhorret, omnino ferri non potest; praeterea scholiastam ipsum alia legisse verba facile apparet. Quibus de causis coniectura, quae primo obtutu nemini non placeat, reicienda est. Fortasse ita scribendum est:

βαβαί· νενεύρωται μὲν ἤδ' ἡ συμφορά
δεινῶς γ'· ἔθ' Ἑρμοῦ σοί γε χεῖρον φαίνεται.

σοί γε hoc loco non esse ineptum ex verbis ἤδ' ἡ συμφορά apparet: choragus enim sine dubio unum alloquitur Laconem. Quod si se recte habet, versus est ita interpretandus: »Peius etiam tecum agi videtur quam cum Mercurio.« cfr. Xenoph. Anab. lib. VII, 6, 4. Quam facile autem δεινῶς γ'· ἔθ' ἑρμοῦ σοί γε, olim uncialibus litteris exaratum, una littera addita mutari potuerit in vulgatam scripturam, neminem fugiet.

Breviter perstringam Lys. 1150—1156: Convertit se Lysistrata ad Athenienses, quos ita alloquitur:

1150. οὐκ ἴσθ' ὅθ' ὑμᾶς οἱ Λάκωνες αὖθις αὖ
κατωνάκας φοροῦντας, ἐλθόντες δορὶ
πολλοὺς μὲν ἄνδρας Θετταλῶν ἀπώλεσαν,
πολλοὺς δ' ἑταίρους Ἱππίου καὶ ξυμμάχους,
ξυνεκμαχοῦντες τῇ τόθ' ἡμέρᾳ μόνοι,
1155. κἀλευθέρωσαν κἀντὶ τῆς κατωνάκης
τὸν δῆμον ὑμῶν χλαῖναν ἤμπισχον πάλιν;

Hunc locum paulum mutandum esse primus vidit Dindorfius, qui pro eo quod est in codicibus κἀλευθέρωσαν vel potius κἠλευθέρωσαν recte scripsit ἠλευθέρωσαν, censens correctorem fugisse cohaerere verba οὐκ ἴσθ' ὅθ' ὑμᾶς ἠλευθέρωσαν. Sine enim dubio verba ἐλθόντες δορὶ — μόνοι per parenthesin interposita sunt. Signa parenthesis nuper Herwerdenus quoque commendavit, sed ante πολλούς et post μόνοι posuit; praeterea corrigi vult v. 1152 ἀπολέσαντες et v. 1154 ξυνεκβαλόντες, quas coniecturas equidem haud probaverim.

Transeo nunc ad Ecclesiazusas.

Praxagora, postquam lychni in mulieres merita enumeravit, pergit:

v. 16. καὶ ταῦτα συνδρῶν οὐ λαλεῖς τοῖς πλησίον.
ἀνθ' ὧν συνείσει καὶ τὰ νῦν βουλεύματα,
ὅσα Σκίροις ἔδοξε ταῖς ἐμαῖς φίλαις.
ἀλλ' οὐδεμία πάρεστιν ἃς ἥκειν ἐχρῆν.

Haeret Meinekius in συνδρῶν, cui praefert συνορῶν, quod non adiutor facinorum mulierum dicendus sit lychnus, sed testis: immerito, ut mihi videtur. Etsi enim ea, quae statim addit Praxagora, ἀνθ' ὧν συνείσει καὶ τὰ νῦν βουλεύματα, optime conveniunt cum συνορῶν, tamen ex

superioribus versibus, maxime ex v. 12. et 13., lychnum adiutorem quoque mulierum esse apparet. Rectius offendit Bachmannus in versu 18., quia *ταῖς ἐμαῖς φίλαις* ferri non possit (nam ipsam quoque Praxagoram vel maxime participem fuisse illius consilii) et praeterea poeta dicere debuerit *ἀλλ' οὐδεμία πάρεστιν αὐτῶν ἐνθαδί* vel simile quid. Addit vir doctissimus: »hae offensiones omnes facile ita possunt removeri, ut statuamus v. 18. esse interpolatoris, qui desideraverit accuratiorem significationem et consiliorum illorum (*τὰ νῦν βουλεύματα*) et mulierum *ἃς ἥκειν ἐχρῆν*.« Quo nihil verius est, etiamsi versus 19., praesertim cum non sit opus illas, quae Sciris convenerunt, omnes denuo convenire, post v. 18. bene se habeat. Accedit enim aliud argumentum idque gravius. Lychnus enim, nisi ipse vidit, rei gestae non potest conscius esse, nullo igitur modo postea eam comperire potest. Quae cum ita sint, miror cur Velsenus in editione sua Bachmannum secutus non sit.

Eccles. v. 282: Praxagora mulierum chorum iubet iter accelerare:

*ἀλλὰ σπεύσαθ', ὡς εἴωθ' ἐκεῖ*
*τοῖς μὴ παροῦσιν ὀρθρίοις εἰς τὴν πύκνα*
*ὑπαποτρέχειν ἔχουσι μηδὲ πάτταλον.*

De integritate huius loci, quem hunc in modum reddere solent: »Nam mos est, ut qui usque a mane in Pnyce non affuerunt, abeant ne minimum quidem lucri referentes«, primi Bergkius et Meinekius dubitaverunt, quorum ille *εἴωθε* certissime corruptum, pro *ὑπαποτρέχειν* autem fortasse *ὥστ' ἀποτρέχειν* reponendum esse monuit, hic contra audacius in loco constituendo versatus est. Recipit enim in verborum ordinem:

*ἀλλὰ σπεύσαθ' ὡς οἷόν τ', ἐπεὶ*
*τοῖς μὴ παροῦσιν ὀρθρίοις εἰς τὴν πύκνα*
*ἔστ' ἀποτρέχειν ἔχουσι μηδὲ πάτταλον.*

Potuisse poetam sic scribere per se patet, sed scripsitne ita revera? Velsenus adnotat: »*εἴωθ'* hoc loco significare videtur idem atque *ἔθος ἐστίν*, cfr. Hesychium: *ἔθος ἔχει* (scilicet, ut opinor, *τοὺς ἀνθρώπους*), sed nescio an corrupta sint verba *ὡς εἴωθ' ἐκεῖ*, pro quibus scribendum sit: *ὡς ἔθος γ' ἐκεῖ*, (nunc video idem fere coniecisse Schneiderum).« Sed *ἐκεῖ* quid sibi velit, equidem assequi non possum. Blaydesius commendat *ὡς εἰρημένον* vel *ὡς ἔσταν γ' ἔθος*, ego autem, praesertim cum *ἔθος* a sententia sit ineptum, haec praetulerim:

*ἀλλὰ σπεύσαθ', ὡς ἔσθ' ἡ δίκη*
*τοῖς μὴ παροῦσιν ὀρθρίοις εἰς τὴν πύκνα*
*ὑπαποτρέχειν ἔχουσι μηδὲ πάτταλον.*

h. e. »Verum festinate; nam ii, qui mane non adsunt, ea poena afficiuntur, ut abeant nihil lucri referentes.«

Eccles. 339: Postquam Blepyrus questus est, quibus premeretur angustiis (uxorem enim mane pallium suum secum abstulisse), alter vir respondet:

*νὴ τὸν Ποσειδῶ, ταὐτὰ τοίνυν ἄντικρυς*
*ἐμοὶ πέπονθας. καὶ γὰρ ᾗ ξύνειμ' ἐγώ*
*φρούδη 'στ', ἔχουσα θοἰμάτιον οὑγὼ 'φόρουν·*
342. *κοὐ τοῦτο λυπεῖ μ', ἀλλὰ καὶ τὰς ἐμβάδας.*
*οὔκουν λαβεῖν γ' αὐτὰς ἐδυνάμην οὐδαμοῦ.*

v. 342. videtur graviore vulnere laborare. Ut enim nunc se habet, Meinekius suo iure quaerit, unde pendere dicamus verba *ἀλλὰ καὶ τὰς ἐμβάδας*, credens rem ita expediri posse, ut legatur *κοὐ τοῦτο λυπεῖ μ', ἀλλ' ὅτι καὶ τὰς ἐμβάδας*. Tamen ne hoc quidem mihi arridet, quod poeta certe verbum finitum adiecisset. Assentitur ei Blaydesius, qui praeterea sine ulla causa (cfr. 343) *οὑγὼ φορῶ* scribendum proponit. Neglexerunt igitur id quod v. 342. in codicibus invenitur, quorum R. *τοῦτο πο λυπεῖ μ'*, reliqui *τοῦτό πω* exhibent. Aliter Velsenus, cui propter admirabilem codices perscrutandi diligentiam in compluribus fabulis omnia fere debemus. Sed quae ipse proposuit:

*κοὐ τοῦτο λυπεῖ μ', ἀλλὰ καὶ τὰς ἐμβάδας*
*ποθῶ· λαβεῖν γ' αὐτὰς ἐδυνάμην οὐδαμοῦ,*

in his mihi quidem non satis considerate videtur fecisse. Quid enim? *πο*, ex *ποθῶ* ortum, num post *τοῦτο* insertum credamus? Sine dubio versus 341—342 olim sic scripti erant:

*φρούδη 'στ', ἔχουσα θοἰμάτιον οὑγὼ 'φόρουν·*
*κοὐ τοῦτο ποθῶ μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐμβάδας.*

Sic omnia bene se habent; de metro enim nihil offendendum esse, Engerum autem in Praefatione Lys. errare iam supra demonstravi.

Eccles. 380: Blepyro, qui interrogavit *τὸ τριώβολον δῆτ' ἔλαβες;* alter vir respondet: *εἰ γὰρ ὤφελον.* Deinde pergit, si R$^{m}$ sequi licet:

*ἀλλ' ὕστερος νὴ Δί' ἦλθον, ὥστ' αἰσχύνομαι*
*μὰ τὸν Δί' οὐδὲν' ἄλλον ἢ τὸν θύλακον.*

Quae verba Brunckius ita restituenda censet, ut scribat:

*ἀλλ' ὕστερος νῦν ἦλθον, ὥστ' αἰσχύνομαι*
*ἔχων μὰ Δί' οὐδὲν ἄλλο γ' ἢ τὸν θύλακον.*

Haec emendandi ratio cum aliis probatur, tum Dindorfio, cui tamen probabilius etiam videtur aliquid ante hunc versum excidisse. Velsenus praefert:

*ἀλλ' ὕστερος γὰρ ἦλθον, ὥστ' αἰσχύνομαι*
*φέρων μὰ τὸν Δί' οὐδὲν ἐν τῷ θυλάκῳ.*

Meinekius rursus scribi mavult:

*ἀλλ' ὕστερος ἦλθον νὴ Δί', ὥστ' αἰσχύνομαι*
*μὰ Δί' οὐδὲν ἄλλο μᾶλλον ἢ τὸν θύλακον.*

Ego, a codicibus quam minime recedendum censens, in priore versu Velseno astipulor, in posteriore autem R$^{is}$ scripturam paululum mutandam esse credo. Legendum enim suspicor ita:

*ἀλλ' ὕστερος γὰρ ἦλθον, ὥστ' αἰσχύνομαι*
*μὰ τὸν Δί' οὐδὲν μᾶλλον ἢ τὸν θύλακον.*

De *αἰσχύνομαι* coniuncto cum accusativo cfr. Plut. 774. *αἰσχύνομαι δὲ τὰς ἐμαυτοῦ συμφοράς,* ubi dativum recipere, id quod Blaydesius vult, opus esse O. Kaehlerus (Wochenschr. f. kl. Phil. IV, 47) iure ac merito negat. Blaydesius, ut hoc quoque commemorem, post *αἰσχύνομαι* plene interpungit, tum scribit, ex v. 380 *ἔλαβον* audiens, *μὰ τὸν Δί' οὐδὲν ἄλλο γ' ἢ τὸν θύλακον,* quae ratio certe insolita est.

Eccles. 493: *ὥστ' εἰκὸς ἡμᾶς μὴ βραδύνειν ἔστ' ἐπαναμενούσας,*
*πώγωνας ἐξηρτημένας,*
495. *μὴ καί τις ὄψεθ' ἡμᾶς χἠμῶν ἴσως κατείπῃ.*

Sic versus 495. est in R. Sed *ἡμᾶς* sine dubio nihil est nisi veteris scripturae supplementum, ab interpolatore profectum, qui credidit pro *ὄψεθ'* scribendum esse *ὄψεθ'* vel simile quid (alius enim codex praebet *ὄψεθ',* alii rursus *ὄψαιτο*); *ὄψεθ'* autem depravatum videtur. Miror igitur, quod Bachmannus (Lexici Aristoph. Specimen) vulgatam (*μὴ καί τις ἡμᾶς ὄψεται*) tuetur, non offendens in pronominis repetitione. Quod autem Velsenus verba corrupta ita emendare conatur, ut *μὴ καί τις ἐξόπισθεν ἢ χἠμῶν ἰδὼν κατείπῃ* scribat, *ἰδὼν* recipiens a Meinekio, haec vel ideo probabilitatis specie carere videntur, quia poetam bis (cfr. v. 482. *μὴ πού τις ἐξόπισθεν ὢν τὸ σχῆμα καταφυλάξῃ*) idem fere dixisse non est verisimile. Eadem de causa reicienda est Blaydesii coniectura *μὴ καί τις ἐξόπισθ' ἰδὼν ἡμῶν ἰὼν κατείπῃ.* Scribatur *μὴ καί τις ὀψ' ἀφικομένων ἡμῶν ἰὼν κατείπῃ;* sed probabiliora mihi videntur haec:

*μὴ καί τις ἅψεθ' ὑπονοῶν χἠμῶν ἰὼν κατείπῃ.*

h. e. »Ne quis forte, suspectas iudicans, nos comprehendat neve indicet.« *ἰών* invenit Dobraeus, *ἅπτομαι* autem et *ὑπονοῶ* sine ullo additamento poni posse lexica docent.

Ecclês. 586: Praxagorae, quae antea dixit se timere, ne Athenienses antiquos mores amplexi tenerent neve impellerentur ut eos desererent, Blepyrus respondet:

*περὶ μὲν τοίνυν τοῦ καινοτομεῖν μὴ δείσῃς· τοῦτο γὰρ ἡμῖν*
*δρᾶν ἀντ' ἄλλης ἀρχῆς ἐστιν, τῶν δ' ἀρχαίων ἀμελῆσαι.*

Pro *ἀντ' ἄλλης ἀρχῆς* requirit Bergkius *ἀρετῆς*, quod Blaydesio verum videtur. Sed quo iure haec verba interpretetur: »omnium virtutum loco est nova sectari,« equidem intellegere non possum. Velsenus collato Vesp. versu 575 praeferri vult: *δρᾶν ἀντ' ἀρχῆς μεγάλης ἐστίν.* Sed quamquam concedendum est talia dici posse, tamen poeta mihi videtur nihil aliud scripsisse nisi

*δρᾶν ἀντ' ἄλλων ἀρχῆς ἐστιν,*

quod idem est atque *ἀντὶ τοῦ ἄλλων ἄρχειν.* Eadem verborum conformatione utitur Plato, qui de Rep. I, 341 d dicit *τὴν τῶν ναυτῶν ἀρχήν.* De *ἄλλων* pronominis interpositione cfr. exempla, quae Cruegerus gramm. 47, 9, 19 congessit.

Eccles. 594: Praxagora, postquam se effecturam narravit, ne alii divites, pauperes alii essent, addit:

*ἀλλ' ἕνα ποιῶ κοινὸν ἅπασιν βίοτον καὶ τοῦτον ὅμοιον.*

Deinde Blepyrus: *πῶς οὖν ἔσται κοινὸς ἅπασιν;*
Pro *τοῦτον ὅμοιον* F. W. Schmidt (in studiorum critic. volum. tertio) legendum suspicatur *πλοῦτον ὅμοιον,* id quod Henricus Lewy (Wochenschr. für klass. Philol. IV, No. 47), quia Praxagora v. 591 dixerit: *κἀκ ταὐτοῦ ζῆν καὶ μὴ τὸν μὲν πλουτεῖν, τὸν δ' ἄθλιον εἶναι,* pro vero habet. Quod contra est; ex illis verbis (*κἀκ ταὐτοῦ ζῆν*) potius colligo *τοῦτον ὅμοιον* se recte habere. Vult enim mulier omnes homines eodem fere victu uti nihilque interesse inter pauperes et divites. Accedit quod, si Praxagora *καὶ πλοῦτον ὅμοιον,* quod per se mirum est, dixisset, Blepyrus haec verba neglegere non potuisset; quod revera facit, cum respondeat *πῶς οὖν ἔσται κοινὸς ἅπασιν.*

Eccles. 638: Praxagorae, quae contendit nova in republica ab adulescentibus omnes eos existimatum iri patres, qui aetate provectiores sint, respondet Blepyrus:

*οὐκοῦν ἄγξουσ' εὖ καὶ χρηστῶς ἑξῆς τὸν πάντα γέροντα*
*διὰ τὴν ἄγνοιαν, ἐπεὶ καὶ νῦν γιγνώσκοντες πατέρ' ὄντα*
*ἄγχουσι. τί δῆθ', ὅταν ἀγνὼς ᾖ; πῶς οὐ τότε κἀπιχεσοῦνται;*

Miror quod in *τὸν πάντα* Bachmannus in Lexici Arist. Spec. non offendit. Aliter Blaydesius, qui *ἑξῆς πάντ' ὄντα γέροντα* coniecit: non satis considerate, ut ego quidem arbitror. Neque enim quicquam absurdius cogitari potest, neque ex iis verbis, quae Acharn. 221. sunt (*μὴ γὰρ ἐγχάνοι ποτὲ μηδέ περ γέροντας ὄντας ἐκφυγὼν Ἀχαρνέας*), concludere ei licet se vera invenisse. Quod autem Velsenus lenissimam emendandi rationem esse eam putat, ut *ἄγξουσιν* post *ἑξῆς* transponatur: ego leniorem etiam invenisse mihi videor. Praetulerim enim:

*οὐκοῦν ἄγξουσ' εὖ καὶ χρηστῶς ἑξῆς τότε πάντα γέροντα.*

*τότε* et *νῦν,* quod est in subsequenti versu, inter se contraria sunt.

Eccles. 799—810 a criticis mire vexati sunt, ut coniecturae huic loco aspersae numerari vix possint. Sed cum non id agam ut illas refellam, commemorare satis habeo, quid de versibus 799—800 sentiam. Etenim cum in codicibus sic legantur:

A. *οἴσουσιν, ὦ τᾶν.* B. *ἢν δὲ μὴ κομίσωσι, τί;*
A. *ἀμέλει κομιοῦσιν.* B. *ἢν δὲ μὴ κομίσωσι, τί;*

ego non ad Velseni, corrigentis *κομιοῦσιν, ὦ τᾶν,* sed ad Blaydesii sententiam accedo, scribentis: *οἴσουσιν, ὦ τᾶν.* B. *ἢν δὲ μὴ 'νέγκωσι, τί;* Cur hoc, non illud praeferam, facile intellegas.

Eccles. v. 897—899 in R. sic scribuntur:

*οὐδέ τοι στέργειν ἂν ἐθέλοι*
*μᾶλλον ἢ 'γὼ τὸν φίλον·*
*ᾧπερ ξυνείην· ἀλλ' ἐφ' ἕτερον ἂν πέτοιτο.*

Quae Velsenus mutavit hunc in modum:

*οὐδέ τοι στέργειν τις ἐθέλοι*
*μᾶλλον ἢ 'γὼ τὸν φίλον ἄν, ᾧ —*
*περ ξυνείην·*
*ἀλλ' ἐφ' ἕτερον ἂν πέτοιτο.*

*τις ἐθέλοι* de sua sententia scribit, cum codices praeter Ravennatem praebeant *οὐδέ τις στέργειν ἂν ἐθέλοι.* Hos sequitur Blaydesius, qui in altero versu Dobraeo suadente *τὸν φίλον, ὅτῳ περ* amplexus est. Obscurior est ultimus versus, de quo Schneiderus haec: »De ultimo versu habere mihi videor quod dubitem. Est de puella intellegendus, quam vetula metuit ne appropinquantem forte amatorem sibi praeripiat et quam propterea cupit ab hoc loco discedere, ut alibi suum sibi amatorem quaerat«. Sic Schneiderus, scribi iubens *ἀλλ' ἐφ' ἕτερον ἂν πέτοιο* h. e. germ. drum zu anderen mögest du flattern; sed errat homo doctissimus, cum *τις* pronomen (= eine gewisse) pro *σύ* positum esse non intellegit. Tamen versum credo ita mutandum esse:

*ἀλλ' ἐφ' ἕτερον αὖ πέτοιτο.*

Optativi huius generis exemplum est versus ille: *ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.*

Non minus quam Ecclesiazusae corruptae sunt Thesmophoriazusae, ex quibus nonnullos locos tractare liceat.

v. 11. colloquuntur inter se Euripides et Mnesilochus.

Eur. *χωρὶς γὰρ αὐτοῖν ἑκατέρου 'στὶν ἡ φύσις.*
Mnesil. *τοῦ μήτ' ἀκούειν μήθ' ὁρᾶν;* Eur. *εὖ ἴσθ' ὅτι.*
Mnesil. *πῶς χωρίς;* Eur. *οὕτω ταῦτα διεκρίθη τότε.*
*αἰθὴρ γὰρ ὅτε τὰ πρῶτα διεχωρίζετο*
15. *καὶ ζῷ' ἐν αὑτῷ ξυνετέκνου κινούμενα,*
*ᾧ μὲν βλέπειν χρὴ πρῶτ' ἐμηχανήσατο*
*ὀφθαλμὸν ἀντίμιμον ἡλίου τροχῷ,*
18. *ἀκοὴν δὲ χοάνης ὦτα διετετρήνατο.*

Versum 18., qui recte in vitii suspicionem vocatur, alii corrigere conantur ita ut scribant *ἀκοῆς δὲ χοάνην*, alii sequuntur Reiskium, qui propter similem Plutarchi locum *δίκην δὲ χοάνης* coniecit. Sed *δίκην* Bachmannus demonstravit ab Aristophane prorsus alienum esse. Meinekius rursus et Blaydesius (itemque Velsenus) Dobraeo suadente in editionem suam receperunt *ἀκοῇ δὲ χοάνην*, quia necessario poeta auditum ita nominare deberet, ut oculis esset oppositus. Sed mirum est, quod Blaydesius haec verba interpretatur: »as a funnel for hearing«, Meinekius autem haec adscribit: »Auditui aures *χοάνην* perforavit, quod praegnanter dictum est pro: aures ita fecit factasque perforavit, ut *χοάνης* similitudinem referrent«. Mihi voces quaedam, quae praecedunt, *χωρίς* (v. 11) et *διεκρίθη* (v. 13), imprimis autem *πρῶτα* (v. 16) (quod, cum in eo pondus quoddam positum sit, cum maiore vi efferendum est) postulare videntur, ut legamus:

*ἀκοὴν δέ, χοάνην, εἶτα διετετρήναιο.*

»aether, ubi secerni et animalia in se gignere motu praedita coepit, primo oculum, instar solis rotae, fabricatus est, aurem autem, infundibulum, postea perforavit«. *ἀκοή* cum significet aurem, singularis numerus ita usurpatur, ut v. 17 (*ὀφθαλμόν*). Quod scholiasta adnotat *λείπει ὡς*, id coniecturae meae nullo modo refragatur. De *εἶτα* coniunctionis collocatione, quae hoc loco praesertim vocabulis complurium brevium syllabarum adiectis nihil offensionis habet, cfr. Plut. v. 799: *προβαλόντ', ἐπὶ τούτοις εἶτ' ἀναγκάζειν γελᾶν.* Similiter atque ego iam Bergkius videtur iudicasse de hoc loco, proponens legendum *ὥστε* h. e. tamquam; quod saepius apud tragicos invenitur, nunquam tamen substantivo postponitur.

Thesmoph. 72. Mnesilochus Euripidem alloquitur:

*νὴ τοὺς θεοὺς ἐγὼ πυθέσθαι βούλομαι,*
*τί τὸ πρᾶγμα τουτί. τί στένεις; τί δυσφορεῖς;*
74. *οὐ χρῆν σε κρύπτειν, ὄντα κηδεστὴν ἐμόν;*

Respondet Eur. *ἔστιν κακόν μοι μέγα τι προπεφυραμένον.*

Quos versus non commemorarem, nisi critici in v. 74. haesissent. Ac Dobraeus quidem eum censet Euripidi assignandum esse legendo scilicet *χρή* pro *χρῆν*. Cumque forte Suidae quoque libris *χρή* tradatur, quae res, quamquam personarum notae constanter apud illum omittuntur, Dobraei sententiae videtur favere: Buengerus (in libello suo De — reliquiis) non dubitat, quin ille veram invenerit scripturam. Sed si scholiastae adnotatio (*οὐ μόνον κηδεστὴς ὁ ἐκδιδοὺς ἀλλά καὶ ὁ λαμβάνων*) alicuius momenti est, praesertim cum sine dubio post exclamationes illas (*τί στένεις; τί δυσφορεῖς;*) haec verba magis in Mnesilochum quadrent, certe nihil melius est quam ea quae Ravennas exhibet retinere. Sententia enim est: »Non debebas, cum gener meus sis, id celare«. Miror igitur, quod Velsenus Valckenarium legentem *οὐ χρῆν σε κρύπτειν, ὄντα κηδεστήν, ἐμέ,* sequi maluit quam codicem, quem alibi amplecti solebat.

Thesmoph. 82: Eur. *αἱ γὰρ γυναῖκες ἐπιβεβουλεύκασί μοι,*
*κἀν Θεσμοφόροιν μέλλουσι περί μου τήμερον*
*ἐκκλησιάζειν ἐπ' ὀλέθρῳ.* Mnes. *τιὴ τί δή;*
85. Eur. *ὁτιὴ τραγῳδῶ καὶ κακῶς αὐτὰς λέγω.*
Mnes. *νὴ τὸν Ποσειδῶ καὶ δίκαιά γ' ἂν πάθοις.*
87. *ἀτὰρ τίν' ἐκ ταύτης σὺ μηχανὴν ἔχεις;*

v. 87. mutant auctore Berglero *ἐκ ταύτης* in *ἐκ τούτων,* quod interpretantur: »haec cum ita sint comparata«; Velsenus contra retenta *ταύτης* voce statuit excidisse post v. 86. versum in hunc fere modum comparatum: *ἥν σοι μεγίστην ἐπιτιθῶσι ζημίαν.* Sed ne in hac quidem coniectura acquieverim. Mihi versus ita sanandus videtur, ut leni mutatione *ἐς ταύτας* scribatur.

Difficiliores sunt versus 146—147, quos auditis Mnesilochi ludificantis verbis Agatho pronuntiat:

*ὦ πρέσβυ πρέσβυ, τοῦ φθόνου μὲν τὸν ψόγον*
147. *ἤκουσα, τὴν δ' ἄλγησιν οὐ παρεσχόμην.*

v. 146. sitne praeferendum id quod Reiskius coniecit *τὸν ψόφον,* addubitaveris. Ex versu 147. ea, qua videtur opus esse, sententia (»dolore non sum affectus«; schol. *ἀντὶ τοῦ οὐκ ἐλυπήθην*) nullo modo elici potest. Nullum certe simile exemplum invenitur. Non male Meinekius: »Pro *παρεσχόμην* ingeniose Bergkius *παρῃσθόμην;* at possis etiam *παρέσχετο* conicere: dolorem autem, quem tu mihi afferre voluisti, vituperium tuum non effecit«. Similiter Velsenus: »fortasse scribendum est *παρέσχε μοι*«. Ego scribi malim:

*ἤκουσα, τὴν δ' ἄλγησιν οὐ παρέσχες, οὔ.*

h. e. »dolorem autem, quem volebas, mihi nullo modo intulisti«. *οὔ,* non *οὐκ,* quamquam vocalis subsequitur, legendum constat (cfr. Meinek. Fr. Com. III, 511).

Thesm. 282: Mnesilochus, ut Euripidem apud mulieres purget, timidus in Thesmophorium se confert; cui ubi appropinquavit, Thesmophoras ita implorat:

*ἀλλ', ὦ περικαλλῆ Θεσμοφόρω, δέξασθέ με*
*ἀγαθῇ τύχῃ καὶ δεῦρο πάλιν οἴκαδε.*

Bentleius versus 283. lacunam ita explevit ut scriberet:

*ἀγαθῇ τύχῃ καὶ δεῦρο καὶ πάλιν οἴκαδε,*

quod profecto exiguam habet probabilitatis speciem. Velsenus rursus censet librarii errore duos versus, in hunc fere modum comparatos:

*ἀγαθῇ τύχῃ καὶ δεῦρο δὴ προπέμψατε*
*κἄπειτ' ἀνελθεῖν δότε με σῶν πάλιν οἴκαδε,*

in unum esse contractos. Sed uno vocabulo inserto mederi possumus versui:

*ἀγαθῇ τύχῃ καὶ δεῦρο πάλιν τ' ἄφετ' οἴκαδε.*

Minus probanda est Blaydesii coniectura *καὶ δεῦρ' ἰέναι πάλιν οἴκαδε,* cum *δεῦρο* non possit coniungi cum *οἴκαδε.*

Thesmoph. 355: Chorus mulierum precatur, ut vota sacerdotis urbi populoque rata fiant, h. e. ut bonis bona, mala malis accidant. Bis autem, si critici recte iudicarent, eadem fere verba usurparet. Dicit enim

ὁπόσαι δ'
ἐξαπατῶσιν παραβαίνουσί τε τοὺς
ὅρκους τοὺς νενομισμένους
360. κερδῶν εἵνεκ' ἐπὶ βλάβῃ,
et paulo post: 365. ἢ Μήδους ἐπάγουσι τῆς
χώρας οὕνεκ' ἐπὶ βλάβῃ,
ἀσεβοῦσ', ἀδικοῦσί τε τὴν πόλιν.

De versibus 365—366, qui in R^e^ et Augustano sic scribuntur, ut descripsi, Dindorfius haec: »Versus interpolati. οὕνεκ' ἐπὶ βλάβῃ ex v. 360 illatum esse animadvertit Dobraeus. Nec sequentia ἀσεβοῦσιν ἀδικοῦσίν τε τὴν πόλιν (nam sic libri) hoc modo scripta ab Aristophane videntur. Post χώρας plura exciderunt, in quibus apodosis fuit ad illud ὁπόσαι v. 356.« Sic Dindorfius; sed vereor ut recte iudicet. Ac primum quidem verba quaedam, quibus apodosis significetur, post ἐπὶ βλάβῃ supervacanea sunt (eodem modo unns versus facit apodosin v. 349); deinde ea, quae his versibus subest, sententia per se nequaquam mira est, praesertim cum v. 335—338 eadem fere inveniatur (cfr. Pac. v. 107: γράψομαι Μήδοισιν αὐτὸν προδιδόναι τὴν Ἑλλάδα); tum interpolator sine dubio meliorem versum finxisset. Quae cum ita sint, ne Meinekio quidem assentior, qui Vind. pag. 152. non solum Medos ineptissime commemorari putat, sed etiam totum carmen subditum iudicat. Ego enim versum 366. coniectura restitui posse credo; neque tamen accesserim opinioni Velseni, qui auctore Reisigio, ut v. 367. plane consentiret cum v. 360, tradita verba ita mutavit:

ἢ Μήδους ἐπάγουσι γῇ
κερδῶν εἵνεκ' ἐπὶ βλάβῃ.

O. Schneiderus, putans lenissima opera hunc locum emendari posse, proposuit:

ἢ Μήδους ἐπάγουσι τῆς
χώρας, ἡνίκ' ἐπὶ βλάβῃ,

germanice reddens: wenn sie es schadenfroh thun. Sine dubio non post χώρας, sed post ἐπάγουσι interpungi volebat, ita ut τῆς χώρας coniungeretur cum ἐπὶ βλάβῃ. Sed si sententia, qualem ille vult, talis esset, non ἡνίκα sed εἰ poeta usurpasset. Denique id quoque, quod Blaydesius commendat τῇ χώρᾳ ταύτῃ ἐπὶ βλάβῃ reiciamus, cum ad codicum scripturam propius accedant haec:

ἢ Μήδους ἐπάγουσι τῇ
χώρᾳ δύσνοι ἐπὶ βλάβῃ.

De hiatu cfr. Equit. 1133 et 1138, Nub. 324.

Foede corruptus est Thesm. 536: Mulier quaedam exclamat totam mulierum manum insanam esse, si illam, quae sibi tot contumelias imponat (dicit autem Euripidis affinem muliebri indutum veste), impunitam dimittant. Tum pergit:

536. Εἰ μὲν οὖν τις ἔστιν, εἰ δὲ μὴ ἡμεῖς
αὐταί τε καὶ δουλάρια τέφραν ποθὲν λαβοῦσαι
ταύτης ἀποψιλώσομεν τὸν χοῖρον κτλ.

v. 536. Blaydesius, schema quod dicunt ἀνανταπόδοτον usurpari credens, sic explicat vulgatam, non ut tollatur depravationis suspicio, sed ut augeatur. Hanc enim sententiam ex verbis elicere cupit: »Quapropter, si illa aliqua est (h. e. si illi animi aliquid inest, vel si fortis et animosa est), se ipsam defendet; sin minus etc.« Quo nihil pravius videtur. Nam ex tota sententiarum ratione apparet nihil tale (»se ipsam defendet«) audiri posse; potius exspectares: »incolumis abeat«. Sed ne haec quidem interpretatio ferri potest, cum sine dubio mulieres Mnesilochum inultum abire omnino nolint. Non minus Fritzschius fallitur, cum ita explicat: »si quis adest ultor iniuriae nostrae, bene habet (valde enim nobis incommodum est in scena versantibus de nostrum una vindictam in propatulo sumere)«. Sequitur ut locus mutandus sit. Bergkius ἔστι τίσις ἐν ἡμῖν, Velsenus autem τίσις τις ἔστ' ἐν ἡμῖν scribi iubet; sed sententia postulare videtur:

εἰ μὲν οὖν τίς ἐστι δύναμις ἡμῖν.

Acutissimia, sed improbabilis est Buengeri coniectura in Thesm. versus 769—772: Mnesilochus, vinctus a mulieribus, secum considerat, quomodo Euripidem de re sua adversa doceat. Tandem exclamat:

οἶδ' ἐγὼ καὶ δὴ πόρον
ἐκ τοῦ Παλαμήδους· ὡς ἐκεῖνος τὰς πλάτας
771. ῥίψω γράφων. ἀλλ' οὐ πάρεισιν αἱ πλάται.
πόθεν οὖν γένοιντ' ἄν μοι πλάται; πόθεν; πόθεν;

Cum Suidas verba ἀλλ' οὐ πάρεισιν αἱ πλάται non commemoret idemque postea πόθεν; πόθεν; omittat (alterum πόθεν, ut hoc commemorem, debemus Bentleio, cum codices semel tantum exhibeant πόθεν): Buengerus versus 771. et 772. in unum contrahendos conicit, scribens:

ῥίψω γράφων. πόθεν οὖν γένοιντ' ἄν μοι πλάται;

ita ut v. 772. plane dispereat. Quae coniectura, quamvis primo aspectu arrideat nobis, tamen magnam veri speciem prae se ferre ideo non videtur, quod sic v. 770. τὰς articulus molestissimus esset. Si autem Mnesilochus, quod nemo dubitat, v. 770. τὰς πλάτας dixit, bene pergit ἀλλ' οὐ πάρεισιν αἱ πλάται (h. e. sed palmulae mihi desunt). Videtur igitur, si quicquam removendum est, v. 771. supervacaneus esse. Quod autem quater repetitum est vocabulum αἱ πλάται (770, 771, 772; 773 ἀντὶ τῶν πλατῶν), id factum videtur, quod Mnesilochus singulis versibus pronuntiatis, quasi secum meditans, parumper tacet, priusquam loqui pergit. Quare illae coniecturae, quas critici ad v. 771. protulerunt, omnes inutiles sunt.

Thesm. 1202: Euripides, postquam ei contigit dolo, ut custodem h. e. Scytham ablegaret, exclamat:

Ἑρμῆ δόλιε, ταυτὶ μὲν ἔτι καλῶς ποιεῖς.

ἔτι Blaydesio nonnihil suspectum videtur itemque Velseno, qui adscribit: »Nescio an propter ἔτι scribendem sit ποίει«. Sed verisimiliora videntur haec:

Ἑρμῆ δόλιε, ταυτὶ μένει 'τι καλῶς ποιεῖν.

μένει 'τι idem est quod μένει ἔτι. Non minus probaverim haec: ταυτὶ μὲν ἔστι καλῶς ποιεῖν.

Tractemus nunc locos quosdam ex Pluto sumptos.

Inde a primis versibus Chremylus Carioni, servo suo, narrat haec: Videntem ipsum iniqua uti fortuna, multos autem ditescere, sacrilegos causidicos sycophantas, profectum se esse Delphos ad Apollinem consulendum de filio, num eum conduceret mutatis moribus fieri improbum, iniustum, omnis honestatis expertem; Apollinem sibi praecepisse, cui occurreret primum egressus, ab eo ne discederet; se primo occurrisse caeco illi Pluto. Deinde ita inter se colloquuntur:

45. Car. εἶτ' οὐ ξυνίεις τὴν ἐπίνοιαν τοῦ θεοῦ,
φράζοντος ὦ σκαιότατέ σοι σαφέστατα
ἀσκεῖν τὸν υἱὸν τὸν ἐπιχώριον τρόπον;
48. Chrem. τῷ τοῦτο κρίνεις; Car. δῆλον ὁτιὴ καὶ τυφλῷ
γνῶναι δοκεῖ τοῦθ', ὡς σφόδρ' ἐστὶ σύμφορον
τὸ μηδὲν ἀσκεῖν ὑγιὲς ἐν τῷ νῦν χρόνῳ.

Manifesto vitium contraxit v. 48. Etiamsi enim revera dici potest τοῦτο καὶ τυφλῷ δοκεῖ δῆλον εἶναι γνῶναι (ut 489: φανερὸν οἶμαι γνῶναι τοῦτ' εἶναι πᾶσιν), tamen dubito rectene Boissonadus verborum hunc esse ordinem dicat, ὁτιὴ τοῦτο δοκεῖ δῆλον εἶναι καὶ τυφλῷ γνῶναι, h. e. »quia vel caeco hoc videtur facile esse ad intellegendum«, quam interpretationem non solum Dindorfius et Blaydesius amplectuntur, sed etiam Bachmannus (Lexici Arist. Spec.), censens contortam verborum collocationem excusari posse talibus locis, quales Plut. 119. et 204. inveniantur. Sed ille iure criticis corruptus videtur, hic nequaquam similiter contortus est. Accedit quod sine dubio, quamvis Blaydesius neget, ut οἶδ' ὁτιή pro οἶδ' ὅτι (exempla collegit Bachm. Philol. 5. Supplementb. pag. 254), item δῆλον ὁτιή pro δῆλον ὅτι dici potest. Quae cum ita sint, versus mutandus videtur. Chremylo, qui interrogat, unde coiciat deum velle vernaculo more filium educari, Cario respondere debet: »quia vel caeci esse putat id cognoscere«. Scribendum igitur est:

*τῷ τοῦτο κρίνεις δῆλον;* Car. *ὅτιὴ καὶ τυφλοῦ γνῶναι δοκεῖ τοῦθ', ὡς.*
*εἶναι* post *κρίνω* omissum est, ut exemplum afferam, Xenoph. Anab. 3, 1, 12; *δοκεῖ* idem est quod credit, ut Eccles. 777.

Plut. 119: *ὁ Ζεὺς μὲν οὖν εἰδὼς τὰ τούτων μῶρ' ἔμ' εἰ*
*πύθοιτ' ἂν ἐπιτρίψειε.*

Haec Pluti dei verba inde a Custeri temporibus virorum doctorum ingenia graviter exercuerunt. Sed neque *οἶδ' ὡς*, neque *δεδιώς*, neque *ἰδών* nobis satisfacere potest. Nihilo magis Blaydesii coniecturam (*ὁ Ζεὺς μὲν οὖν οἶδ' ὡς, τὰ τούτων μῶρ' ἔπη | εἰ πεύσετ', ἐπιτρίψει με*) comprobaverim aut id quod Velsenus in poetae verba recepit (*ἐμέ | αἴσχιστ'*). Quid enim? Juppiter, si nugas et stulta consilia Chremyli et Carionis compererit, num Plutum, qui non est auctor eius rei, multabit? Ego haec commendaverim:

*ὁ Ζεὺς μὲν οὖν μ', εἰδὼς τὰ τούτων μῶρά με*
*πιθόντ', ἂν ἐπιτρίψειε.*

h. e. »Juppiter, si compererit nugas horum me induxisse, contriverit me«. *εἰ πύθοιτο,* adiectum *εἰδώς* participii explicandi causa, postea videtur substitutum esse in locum verbi *πιθόντ'*. Quamquam, praesertim cum Venetus *ἂν* ante *ἐπιτρίψειε* omiserit, eodem iure conieceris: *ὁ Ζεὺς μὲν οὖν, εἰδὼς τὰ τούτων μῶρ' ἐμέ | πιθόμενον, ἐπιτρίψει με.*

Maximam difficultatem exhibet Plut. 422: Chremylus et amicus eius decernunt, ut Plutus in Aesculapii fano incubet convalescendi causa. Ecce subito Paupertas apparet eosque acriter intonat: *ἐγὼ γὰρ ὑμᾶς ἐξολῶ κακοὺς κακῶς κτλ.* Deinde inter Chremylum Blepsidemum Paupertatem colloquium ita procedit:

422. Chr. *σὺ δ' εἶ τις ὠχρὰ μὲν γὰρ εἶναί μοι δοκεῖς.*
Bl. *ἴσως Ἐρινύς ἐστιν ἐκ τραγῳδίας·*
*βλέπει γέ τοι μανικόν τι καὶ τραγῳδικόν.*
425. Chr. *ἀλλ' οὐκ ἔχει γὰρ δᾷδας.* Bl. *οὐκοῦν κλαύσεται.*
Paupert. *οἴεσθε δ' εἶναι τίνα με;* Chr. *πανδοκεύτριαν*
*ἢ λεκιθόπωλιν κτλ.*

Versum 422., in quo particulae *μὲν γάρ* videntur alienae esse (quamquam quadragies inveniuntur apud Aristophanem, cfr. O. Kaehler, Wochenschr. für klass. Philol. IV, 47), primus corruptum esse vidit Velsenus, qui eum initio ita mutavit, ut scriberet *σὺ δ' εἶ τίς; ὠχρὰ μαινὰς εἶναί μοι δοκεῖς*, postea autem a Bambergio pro *ὠχρὰ* recepit *ὦ γραῦ*, ita ut totum versum sic mutaret: *σὺ δ' εἶ τίς, ὦ γραῦ; μαινὰς εἶναί μοι δοκεῖς.* Sed *μαινάς*, quod Velsenus sine dubio ita accipi volebat, ut esset idem quod *παράφρων*, non modo apud Homerum et Aristophanem ipsum alio sensu invenitur, verum etiam ob v. 424. (*μανικόν τι*) ferri non potest. Sed ut ille revera crediderit Chremylum de maenade cogitare: Bambergius (progr. 1869 pag. 26) non esse huius Chremyli in tam vagas coniecturas abire evidenter demonstravit. Addit vir doctissimus sine dubio versum excidisse, quem usus loco quodam Platonico non male fingit. Sed haec coniectura vix quicquam probabilitatis habet. Nihilo magis verisimile est illud, quod Meinekius contendit, Aristophanem nihil de his omnibus scripsisse praeter *σὺ δ' εἶ τίς;* cetera autem stulti iuterpolatoris manu adiecta esse. Atque etiam id quod Blaydesius scripsit, *ὠχρά γ' εἶν' ἐρινύς μοι δοκεῖς,* veritatis specie abhorret, quia Chremylus satis habuisset dicere *ἐρινὺς εἶναί μοι δοκεῖς,* non *ὠχρά* addidisset. Ego non dubito, quin sub *ὠχρά* lateat *γραῦ* vel potius *γραῦς* idque subiectum sit verborum *μὲν γὰρ — δοκεῖς*. Quod in sedem suam reduci non poterit, nisi versum ita mutaverimus:

*σὺ δ' εἰπὲ τίς εἶ; γραῦς μὲν γὰρ εἶναί μοι δοκεῖς.*

cfr. v. 432: *ἀλλ' ἥτις εἶ λέγειν σ' ἐχρῆν αὐτίκα μάλα.*

A versu 535. Chremylus Paupertati respondet:

535. *σὺ γὰρ ἂν πορίσαι τί δύναι' ἀγαθὸν πλὴν φῴδων ἐκ βαλανείου*
*καὶ παιδαρίων ὑποπεινώντων καὶ γραϊδίων κολοσυρτοῦ;*
*φθειρῶν τ' ἀριθμὸν καὶ κωνώπων καὶ ψυλλῶν οὐδὲ λέγω σοι*

*ὑπὸ τοῦ πλήθους, αἳ βομβοῦσαι περὶ τὴν κεφαλὴν ἀνιῶσιν,*
*ἐπεγείρουσαι καὶ φράζουσαι, πεινήσεις, ἀλλ' ἐπανίστω.*
*πρὸς δέ γε τούτοις ἀνθ' ἱματίου μὲν ἔχειν ῥάκος· ἀντὶ δὲ κλίνης*
*στιβάδα σχοίνων κόρεων μεστήν, ἣ τοὺς εὕδοντας ἐγείρει·*
*καὶ φορμὸν ἔχειν ἀντὶ τάπητος σαπρόν· ἀντὶ δὲ προσκεφαλαίου*
*λίθον εὐμεγέθη πρὸς τῇ κεφαλῇ· σιτεῖσθαι δ' ἀντὶ μὲν ἄρτων*
*μαλάχης πτόρθους, ἀντὶ δὲ μάζης φυλλεῖ' ἰσχνῶν ῥαφανίδων,*
*ἀντὶ δὲ θράνου στάμνου κεφαλὴν κατεαγότος, ἀντὶ δέ μάκτρας*
*πιθάκνης πλευρὰν ἐρρωγυῖαν καὶ ταύτην. κτλ.*

Vel inde, quod antea pediculi culices pulices, multo post cimices nocte dormientem excitare dicuntur, hoc loco esse confusionem quandam colligas. Atque Velsenus in vv. 540—546 iustum sententiarum ordinem desiderat, contendens non modo repetitum ***ἐγείρειν*** voc. in 539 et 541 ineptum videri, sed etiam in enumerandis paupertatis incommodis in 540—543, 543—545, 545 - 546 perturbationem quandam sibi offensioni esse, praeterea ***ἔχειν*** in 545 et 546 (interpositis 543 et 544) omitti non potuisse videri; certe hoc loco inter se mixtas esse duas illas Pluti recensiones. Praeterea vir acutissimus versus 537—539, sine dubio perturbatos, egregie mutavit. Tamen perturbationis causa non in versibus 540—546, sed in 537—539 quaerenda est. Quos si eiecerimus, omnia bene se habebunt; vv. 540—541 respondent versui 527 (***ἔτι δ' οὐχ ἕξεις οὔτ' ἐν κλίνῃ καταδαρθεῖν· οὐ γὰρ ἔσονται***), v. 542 autem versui 528 (***οὔτ' ἐν δάπισιν*** sc. cubare poteris); in v. 545 ***ἔχειν*** eo facilius potuit omitti, quod ex 535 audimus ***πορίσαι ἂν δύναιο.***

Plut. 768: ***φέρε νυν ἰοῦσ' εἴσω κομίσω καταχύσματα,***
***ὥσπερ νεωνήτοισιν ὀφθαλμοῖς ἐγώ.***

Pro ***ἐγώ*** scribendum est ***θέμις***, quod (postquam ***θ*** excidit post ***ς***) facile in ***ἐγώ*** mutari poterat; minus placet ***νόμος*** aut ***πρέπει*** aut ***χρεών***.

Plut. 883: Justus dicit sycophantae haec:

***οὐδὲν προτιμῶ σου. φορῶ γὰρ πριάμενος***
***τὸν δακτύλιον τονδὶ παρ' Εὐδάμου δραχμῆς.***

Interpellat Cario dicendo:

***ἀλλ' οὐκ ἔνεστι συκοφάντου δήγματος.***

Quam sententiam iam schol. R. (adnotans ***λείπει φάρμακον***) intellexit necessariam esse (»sed nullum auxilium praebet contra sycophantae morsum«), ea ex his verbis extundi non potest. Sed quod Velsenus »e coniectura, quamvis incerta« scribit, ***φάρμακα δ' ἔνεστι συκοφάντου δήγματος,*** cui versui interrogandi signum addit, vel ideo improbaverim, quod ***ἀλλ' οὐκ*** sic plane perit. Erat cum mihi arrideret ***ἀλλ' οὐκ ἄκος ἐστὶ συκοφάντου δήγματος,*** nunc mihi praestare videtur:

***ἀλλ' ἄκος ἔνεστι συκοφάντου δήγματος;***

Plut. 1028: Vetula quaedam, irata iuveni ingrato, exclamat:

***ἀναγκάσαι δίκαιόν ἐστι νὴ Δία***
***τὸν εὖ παθόνθ' ὑπ' ἐμοῦ πάλιν μ' ἀντευποιεῖν·***
***ἢ μηδ' ὁτιοῦν ἀγαθὸν δίκαιόν ἐστ' ἔχειν.***

De versu 1030. Bambergius (Exerc. cr. nov., quo libello ad Plutum emendandam denuo non pauca contulit) cum alia tum haec: »Hic versus mihi admodum molestus est, quem si sustuleris, anus, quae se adulescentulo diviti facto invidere nusquam prodit, multo sibi similior hoc unum iustum esse dicat, adulescentem ut sibi gratiam referat cogi. Et eum coactum iri sperare poterat, postquam Chremylus dixit: ***φράζε, καὶ πεπράξεται«.*** Tamen haec verba loquaciorem anum haud dedecent. Ceterum iam Brunckius correxit ea ita, ut legeret ***δίκαιός ἐστ' ἔχειν,*** quod omnes editores receperunt. Velsenus autem, quoniam scholiasta codicis R. adnotaverit ***ἐλλείπει ἐχρῆν,*** hunc neque ***δίκαιόν ἐστ',*** neque ***δίκαιός ἐστ'*** legisse censet, sed aliud quid, velut: ***μ' ἀδικοῦντα τόνδ' ἔχειν.*** Blaydesius: »Legendum, ni fallor, inquit, ***ἀγαθὸν δίκαιόν ἐστ' ἔχειν*** (sc. ***αὐτόν, τὸν εὖ παθόνθ'*** etc.). Alioqui ***οὐδ' ὁτιοῦν*** (non ***μηδ' ὁτιοῦν***) ponendum fuisset«. Ego, praesertim cum R et U praebeant ***δίκαιον ἐστ'*** (sic!), haec commendaverim:

***ἢ μηδ' ὁτιοῦν ἀγαθὸν δίκαιον ὄντ' ἔχειν.***

Sic intellegimus, cur scholiasta *ἐχρῆν*, quod ex v. 1028 facile audiri potest, deficere arbitretur. Sententia est: »aut, si iustus est, nihil boni a me retinere, sed omnia reddere debet«·

Duos locos depromo ex Acharnensibus.

v. 21. *οἱ δ' ἐν ἀγορᾷ λαλοῦσι, κἄνω καὶ κάτω*
*τὸ σχοινίον φεύγουσι τὸ μεμιλτωμένον·*
*οὐδ' οἱ πρυτάνεις ἥκουσιν, ἀλλ' ἀωρίαν*
*ἥκοντες, εἶτα δ' ὠστιοῦνται πῶς δοκεῖς*
25. *ἐλθόντες ἀλλήλοισι περὶ πρώτου ξύλου,*
*ἄθροι καταρρέοντες.*

Bachmannus hunc locum quattuor coniecturis sanare conatus est, ex quibus una mihi arridet, *εἶθ' οἴδ'* pro *εἶτα δ'*, praesertim cum Suidas haec praebeat: *οἵδ' ὠστιοῦνται πῶς δοκεῖς περὶ τοῦ πρώτου ξύλου.* Minus autem mihi placet, quod pro *ἐλθόντες* (v. 25.) scribi vult *ἕλκοντες* et participia ita traicit, ut v. 24. *ἐλθόντες*, v. 25. *ἕλκοντες* recipiendum censeat. Minus etiam mihi probatur quod O. Schneiderus coniecit, *ἔθοντες*, Homericum vocabulum. Sine dubio legendum est: *ἐθέλοντες* h. e. germ. aus freien Stücken, quod verbum aptissime oppositum est versibus 21 et 22. Praeterea v. 24. pro *ἥκοντες* coniecerim *ἥξουσιν*. cfr. Lysistr. 15—16.

Acharn. 410: Poeta Euripidem tamquam claudicantium fictorem et *πτωχοποιόν* deridet:

Dicaeop. *Εὐριπίδη.* Eurip. *τί λέλακας;* Dic. *ἀναβάδην ποιεῖς,*
*ἐξὸν καταβάδην; οὐκ ἐτὸς χωλοὺς ποιεῖς.*
412. *ἀτὰρ τί τὰ ῥάκι' ἐκ τραγῳδίας ἔχεις,*
*ἐσθῆτ' ἐλεινήν; οὐκ ἐτὸς πτωχοὺς ποιεῖς.*

Versu 412 sententiarum ratio prorsus pervertitur. Duabus enim de causis Dicaeopolis Euripidem vituperat, quarum una est, quod *ἀναβάδην*, altera, quod pannis indutus fabulas componat; *ἐκ τραγῳδίας* igitur ferri non potest. Quod cum ita sit, Bachmannus iis quas alii protulerunt coniecturis merito reiectis commendat: *ἀτὰρ τί ὁρῶ; τραγῳδίαν ποιεῖς ἔχων ἐσθῆτ' ἐλεινήν κτλ.* Sed fortasse erunt, quibus simplicior mutatio probetur:

*ἀτὰρ τί τὰ ῥάκι'; ἦ 'πὶ τραγῳδίαις ἔχεις*
*ἐσθῆτ' ἐλεινήν;*

h. e. »Quid vero panni? tune ad tragoedias componendas veste miserabili indutus es?«

Ex Vespis unum locum sumo. In parabasi (1017) coryphaeus de poeta haec: »Primo, inquit, aliorum nomine fabulas dedit, postea autem ipse subiit periculum,

*οὐκ ἀλλοτρίων ἀλλ' οἰκείων Μουσῶν στόμαθ' ἡνιοχήσας.*
*ἀρθεὶς δὲ μέγας καὶ τιμηθεὶς ὡς οὐδεὶς πώποτ' ἐν ὑμῖν,*
1024. *οὐκ ἐκτελέσαι φησὶν ἐπαρθεὶς οὐδ' ὀγκῶσαι τὸ φρόνημα, κτλ.*

Versum 1024 non recte explicatum esse a scholiasta (*ἐκτελεῖν ἐπαρθέντα* esse idem quod *ἐπὶ τέλος ἐλθεῖν*), Dindorfio (esse idem quod *διατελεῖν ἐπαρθέντα*), Richtero (ad *ἐκτελέσαι* audiri posse *τὴν ποίησιν* vel *τὴν δόξαν* vel *τὸ φρόνημα*) demonstravit O. Schneiderus. Sed quod ipse coniecit, *οὐκ εὐτελίσαι φησίν* h. e. »dicit se non parvi pependisse *τὸ ἐπαρθῆναι*«, id non solum ab Atticorum loquendi usu abhorret, verum etiam ei, quae necessaria est, sententiae repugnat. Prior enim versus pars sine dubio idem fere significat ac posterior. Scribendum propono:

*οὐκ εὖ τελέσας φησὶν ἐπαρθῆν' οὐδ' ὀγκῶσαι τὸ φρόνημα.*

*εὖ τελέσας* sc. *τὸ οἰκείων Μουσῶν στόματα ἡνιοχεῖν.* »Negat se, quia secundum habuerit eventum, inflatum esse ac tumidos spiritus sumpsisse«.

Transeo ad Pacem.

v. 64. *τοῦτ' ἔστι τουτὶ τό κακὸν αὖθ' οὑγὼ 'λεγον·*
*τὸ γὰρ παράδειγμα τῶν μανιῶν ἀκούετε.*

v. 65. articulus, qui mihi iam diu displicuit, nunc ab Herwerdeno quoque improbatur. Scribe *τόδε γὰρ,* quod (praeter alia) ille quoque profert. cfr. Aeschyl. Ag. 493 (*κήρυκ' ἀπ' ἀκτῆς τόνδ'*

ὁρῶ). In tertio pede praegressis duobus anapaestis non opus esse spondeum, qui Engero videtur necessarius, poni ex Acharn. 16 et 1073 apparet.

Pac. 211: Mercurius exponit, cur nondum pax inter Lacedaemonios et Athenienses conciliata sit. »Si quando Lacones, inquit, superiores erant, ita fere loquebantur: Nunc Athenienses poenas dabunt. Contra si vos, Athenienses, melius rem gesseratis venerantque Lacones, qui de pace agerent,

217. *ἐλέγετ' ἂν ὑμεῖς εὐθύς· »ἐξαπατώμεθα*
*νὴ τὴν Ἀθηνᾶν«. — »νὴ Δί' οὐχὶ πειστέον«. —*
*»ἥξουσι χαὖθις, ἢν ἔχωμεν τὴν πόλιν«.*

Multum verisimilitudinis habet, quod Schneiderus de his versibus dicit: »trium hominum privas voces exaudire mihi videor«. In v. 219 multi critici frustra operam posuerunt. Neque enim *ἢν ἕλωμεν τὴν Πύλον* (Hirschig.), neque *ἀντέχωμεν αὖ πάλιν* (Kock.), neque *εἴπερ ἔχομεν τὴν Πύλον* (Muellerus-Struebing Annal. 1878), neque *ἢν ἔτ' ἔχωμεν τὴν πόλιν* (Schneiderus 1878) satisfacere nobis potest. Ego hanc requiro sententiam: »redibunt, si forte Pylum reddamus«. Quod si se recte habet, legendum est:

*ἥξουσι χαὖθις, ἢν ἀφῶμεν τὴν Πύλον.*

*ἀφιέναι αὐτοῖς Πύλον* invenitur Lysistr. 1166. Convenit huic scripturae id quod Thucydides IV, 41 dicit: *ἐπρεσβεύοντο παρ' αὐτοὺς καὶ ἐπειρῶντο τήν τε Πύλον καὶ τοὺς ἄνδρας κομίζεσθαι.* Hoc enim perspicuum est, poetam nullam aliam legationem Lacedaemoniorum significare potuisse nisi illam, quae Pylo a Demosthene occupata Athenas venit. *τὴν πόλιν* autem praeferendum sit an *τὴν Πύλον*, dubium est.

Pac. 255. *Πολ. Παῖ παῖ Κυδοιμέ; Κυδ. τί με καλεῖς; Πολ. κλαύσει μακρά.*
*Ἕστηκας ἀργός; οὑτοσί σοι κόνδυλος.*
*Κυδ. Ὡς δριμύς. Οἴμοι μοι τάλας, ὦ δέσποτα.*
*Τρυγ. Μῶν τῶν σκορόδων ἐνέβαλεν ἐς τὸν κόνδυλον;*
*Πολ. Οἴσεις ἀλετρίβανον τρέχων;*

Si v. 256. *κόνδυλος* revera, ut scholiasta contendit et Aemilius Schinck (Quaest. Arist. Neuhaldensleben 1877) demonstrare conatur, *παρεπιγραφή* est ob eamque causam removeri debet, priorem quoque versus partem deleamus, qua non invitus carerem. Praeterea *ὡς δριμύς* (sc. *ὁ κόνδυλός ἐστι*, quod ex v. 257 intellegi potest) Trygaeo dandum est; aliter enim Tumultus pugno caesus antea *οἴμοι μοι τάλας* exclamare, postea *ὡς δριμύς* addere debebat.

Pac. 605: Mercurius se agricolis narraturum dicit, quomodo Pax amissa sit (*τήνδ' ὅπως ἀπώλετο*). Deinde pergit:

*πρῶτα μὲν γὰρ αὐτῆς ἦρξε Φειδίας πράξας κακῶς·*
*εἶτα Περικλέης φοβηθεὶς μὴ μετάσχοι τῆς τύχης,*
*. . . ἐξέφλεξε τὴν πόλιν . . . κἀξεφύσησεν τοσοῦτον πόλεμον*
*. . . . ἥδε δ' ἠφανίζετο.*

*αὐτῆς ἦρξε,* quod non modo codices sed etiam Diodorus exhibet, depravatum esse vel ex metro apparet. Quod cum ita sit, innumerabiles coniecturae a viris doctis prolatae sunt, neque tamen vera videntur inventa esse. Mea quidem sententia neque *πρῶτα μὲν γὰρ ἦρξεν αὐτῆς* (Bentleius), neque *πρῶτα μὲν γὰρ ἦρξεν ἄτης* (Seidlerus), neque *πρῶτα μὲν γὰρ αὐτὸς ἦρξε* (Paleius) probabile est. Novam viam, recte contendens ex versibus 615—618 (*οὐδ' ὅπως αὐτῇ προσήκοι Φειδίας ἠκηκόη* et *ταῦτ' ἄρ' εὐπρόσωπος ἦν, οὖσα συγγενὴς ἐκείνου*) apparere olim in v. 605 Phidiam dictum esse rem habuisse cum Pace, Muellerus-Struebing ingressus est, cum scripsit: *πρῶτα μὲν γὰρ ἧψατ' αὐτῆς.* Quod ego ei assentiri non possum. Nam cum ex imperfecto *ἠφανίζετο* (v. 614) perspicuum sit non modo Periclem sed etiam Phidiam putandum esse effecisse, ut Pax disperiret, Bergkius et Blaydesius meliores mihi coniecturas videntur protulisse, quorum ille *πρῶτα μὲν γὰρ αὐτίχ' εἶρξεν* proposuit, hic (praeter alia multa) *εἶρξεν αὐτήν.* Tamen praetulerim:

*πρῶτα μὲν γὰρ αὐτὸς εἶρξε Φειδίας πράξας κακῶς.*

Nam *αὐτήν* omitti posse vel inde colligas, quod in v. 606 (*μὴ μετάσχοι τῆς τύχης*) *αὐτοῦ* abest. Si autem *αὐτός*, quod est germ. aus eignem Antriebe, se recte habet, nequaquam mirum est, quod poeta *αὐτήν* omisit. Sententia est: »Phidias eam inclusit, Pericles autem effecit ut abdita lateret«. Post v. 605 unus versus mihi videtur excidisse, ad quem v. 615—618 olim pertinebant.

Addo aliquot locos ex **Ranis** sumptos.

Primis versibus Xanthias inducitur moleste ferens, quod sarcinam ferre cogatur, si nihil eorum facere sibi liceat, quae in Phrynichi aliorumque comoediis baiuli facere soleant. Dicit enim:

v. 12. *τί δῆτ' ἔδει με ταῦτα τὰ σκεύη φέρειν,*
*εἴπερ ποιήσω μηδὲν ὧνπερ Φρύνιχος*
*εἴωθε ποιεῖν καὶ Λύκις κἀμειψίας*
15. *σκεύη φέρουσ' ἑκάστοτ' ἐν κωμῳδίᾳ.*

Versum 15., quamquam scholiastae et Suidae notum (cfr. Arist. Ran. apud Suidam rel. colleg. G. Buenger), recentiores sine ulla dubitatione ex versum ordine eiecerunt idque recte, ut nunc quidem se habet. Nam *σκευηφοροῦσ'* vel *σκεύη φέρουσ'* vel *σκευοφοροῦσ'* (haec omnia in codicibus inveniuntur), id quod scholiasta credidit, dativum esse hodie nemo est qui concedat. Velsenus rem expedire sibi videtur, si scribat: *σκεύη ποτ' εἰ φέρουσιν ἐν κωμῳδίᾳ*, quo versus plus aequo mutatur. In hoc tamen, quod eum tuetur, libenter ad viri eruditissimi sententiam accedo. Neque enim semper illi comici talia, qualia vult Xanthias, faciebant, sed quando baiulos in scenam prodeuntes inducebant. Quamquam illud permirum est, quod Xanthias idem se facere vult quod Phrynichum (expectes: quod baiulos a Phrynicho productos). Quod cum ita sit, collato versu 1048 (*ἃ γὰρ ἐς τὰς ἀλλοτρίας ἐποίεις*, germ. was du von anderen ersannest) praetulerim *ἐς σκευοφόρους;* praeterea, ne versus misere langueat, traiectione opus est. Oculus librarii nescio cuius ab *εἴπερ* facile aberrare poterat ad *εἴωθε*. Legendum igitur est:

*τί δῆτ' ἔδει με ταῦτα τὰ σκεύη φέρειν,*
*εἴπερ ποιήσω μηδὲν ὧνπερ Φρύνιχος*
*ἐς σκευοφόρους ἑκάστοτ' ἐν κωμῳδίᾳ*
*εἴωθε ποιεῖν καὶ Λύκις κἀμειψίας;*

*σκευοφόρος* fulcitur versu 497. *ἐς σκευοφόρους*, ut video, iam Bergkius coniecit, qui tamen versum subditicium esse censebat; *σκευηφόρους* vel *τοὺς σκευοφόρους* Fritzschius commendavit.

**Ran.** 1026: Aeschylus, postquam se fabula quae est Septem ad Thebas narravit Athenienses reddidisse bellicosos, pergit ita:

*εἶτα διδάξας Πέρσας μετὰ τοῦτ' ἐπιθυμεῖν ἐξεδίδαξα*
*νικᾶν ἀεὶ τοὺς ἀντιπάλους, κοσμήσας ἔργον ἄριστον.*

Ad haec Dionysus:

v. 1028: *ἐχάρην γοῦν, ἡνίκ' ἤκουσα περὶ Δαρείου τεθνεῶτος.*

In hac librorum scriptura, foedissime corrupta, ex scholiis apparet iam antiquos haesisse, ut Didymum, ex cuius adnotatione (*ὅτι οὐ περιέχουσι θάνατον Δαρείου οἱ Πέρσαι τὸ δρᾶμα*) manifesto elucet iam tum *περί* lectum esse, sed non intellectum. Totum scholion describere non est opus; potius videamus, quid recentiores iudicent. Quorum Dindorfius legi vult *ἡνίκα φάσμ' ἐφάνη Δαρείου τοῦ*, Meinekius (insolitam tmesin statuens) *ἡνίκ' ἰὰν ἤκουσ' ἀπὸ Δαρείου*, Pernice *ὡς νίκην ἤκουσ' ἐκ*, Bachmannus (lacunam hoc loco suspicans) *ἡνίκ' Ἀτοσσ' ἤκουσ' . . . παρὰ Δ.*, Fritzschius *τῇ νίκ' ἀκούσας παρά* vel *νικῆσαι 'κούσας παρά*, Kockius *ἐχάρην, γόον ὡς ἤκουσ' υἱοῦ πέρι*. Certe *περί* vel *πέρι* retinendum est idque ante *Δαρείου*. Quare ne Velseno quidem, legenti *περὶ νίκης τι μαθὼν παρὰ Δαρείου*, assentior. Ut eundem verborum ordinem, quem vulgata praebet, simulque *πέρι* conservemus, aut *ἐχάρην γοῦν δὴ νίκης τι μαθὼν πέρι Δαρείου τεθνεῶτος* scribendum est, aut id quod maiorem probabilitatem habere videtur,

*ἐχάρην γοῦν νίκης δὴ 'κούσας πέρι Δαρείου τεθνεῶτος*

Significatur scilicet victoria Plataeensis, de qua in »Persis« Dareus aperte loquitur. Anastrophe autem in coniectura mea bene se habet, cum *περί* ante *νίκης* poni non possit; in quarto enim

tetrametri anapaesti pede verbum aliquod inesse oportet, quo prius colon terminatur. Fortasse iam Didymi temporibus *νίκης* in *νίκῃ* depravatum erat. *δή* est germ. in der That. Similia anastrophes exempla sunt Av. 23. et Soph. Electr. 1111.

Ran. 1422. Dion. *πρῶτον μὲν οὖν περὶ Ἀλκιβιάδου τίν' ἔχετον*
*γνώμην ἑκάτερος; ἡ πόλις γὰρ δυστοκεῖ.*
1424. Eur. *ἔχει δὲ περὶ αὐτοῦ τίνα γνώμην;* Dion. *τίνα;*
*ποθεῖ μέν, ἐχθαίρει δέ, βούλεται δ' ἔχειν.*
*ἀλλ' ὅ τι νοεῖτον εἴπατον τούτου πέρι.*

V. 1424. offendo minus (cfr. Blayd. adnot.) in *τίνα* altero, quod criticis suspectum videtur, quam quia pronomen desidero, quo urbs ipsa significetur. Fortasse scribendum est: *αὐτῇ δὲ περὶ αὐτοῦ τίνα γνώμην ἔχει;*

Ran. 1436: Dionysus, postquam Euripides et Aeschylus suam uterque de Alcibiade sententiam prompserunt, haesitans utrum praeferat, novam proponit de civitatis salute quaestionem. Sequuntur sedecim versus, quibus poetae respondent, quorum versuum sine dubio magnus numerus eiciendus est: 1437—41 (iam ab Aristarcho obelo notati), 1449—50, 1452—53. Omnes hos Meinekius et Velsenus expunxerunt; ecce Vahlenus patronus eorum exsistit. De cuius sententia a Bachmanno leviter tacta fusius dicere haud alienum videtur. Censet enim vir doctissimus, etiamsi Dionysus unam ab utroque de civitate sententiam expetiverit, tamen potuisse Euripidem effutire duas, praesertim cum id cum manifesta ludificatione dicentis fiat; cumque eum non fugiat ita versus, quos pronuntiat Euripides, male interrumpi, ante versum 1442 unum interiise suspicatur huius generis: *Διον. καλῶς παραινεῖς, ἀλλ' ἕτερον ζητητέον,* ad quae Euripides respondeat: *ἐγὼ μὲν οἶδα καὶ θέλω φράζειν.* Sed quamquam hic versus nequaquam vituperandus esset, tamen Dionysum, priusquam Aeschylus quid sentiret diceret, Euripidi concessisse ut duas effutiret sententias, equidem credere non possum. Id enim Dionysus nunquam fecit. Et ne versu 1397 quidem (*ἀλλ' ἕτερον αὖ ζήτει*) huius rei probandae causa uti poterimus. Nam illo loco, cum antea Aeschylus et Euripides versus pronuntiaverint tamquam ad stateram, ut videri posset, utrius versus inferius vergerent, Euripides autem alterum, qui non magis quam prior deorsum vergit, tamquam meliorem laudet, quid mirum, si Dionysus, quia hic versus pro nihilo sit, postulat ut alium eligat ex illis, qui sunt maioris ponderis? Accedit quod versibus 1437—41 omissis v. 1442 (*ἐγὼ μὲν οἶδα*) praeclare superioribus additur. Cur enim Euripidem, qui v. 1426 Dionyso statim respondet (*μισῶ πολίτην*), hoc autem loco ante iustum responsum haec verba pronuntiat *ἐγὼ μὲν οἶδα καὶ θέλω φράζειν,* hic quoque continuo suam sententiam afferre debuisse Vahlenus arbitretur, equidem nullam video causam. Nihilo magis de reliquis versibus ad viri eruditissimi sententiam accesserim. Bachmannus rursus eos versus, qui a criticis ut sani relicti sunt (praeterea v. 1460—61), transponere conatur ita, ut 1435—36, 1454—61, 1442—51, 1467—81 inter se excipiant. Quae traiectio etiamsi a sententia se recte haberet, tamen neque v. 1454 versui 1436 (*τί δαὶ σύ* enim ineptum est, nisi Dionysus alterius poetae responso audito ex altero quaerit quid iudicet), neque v. 1442 versui 1461 (exspectares non *ἐγὼ μὲν οἶδα* sed *ἐγὼ δ' οἶδα*) bene adnecti posset.

